



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

XVIII.

IN Monte S. Archangeli MICHAELIS, Sigeberga, B. Presbyteri WINIBALDI, cuius potior Reliquiarum pars eadem, quâ corpus S. BENIGNI sacrâ Urnâ continetur. Ex Chron.

XIX.

MEGENGOR Geldria Comes, militari scientiâ eximius, eôque nomine OTTONI eius nominis Tertio cum primis charus, qui cum unicum â Coniuge GERBERGA filium sustulisset, & hunc ipsum in bello Bohemico, ac primo illius ætatis flore amisisset, eo Filij casu monitus Pater, suas in tuto opes collocare didicit, easque Cœnobio, cui ADELHEIDAM Filiam præfecit, ex asse dedit & assignavit. Ipse quoque totâ mente à mundo abesse cum non posset corpore, Castitatem deinceps cum GERBURGA suâ colere, lectioni Sacrarum litterarum se dedere, denique in oculis nil præter mortem, & æternitatem habere cœpit, ne mors imparatum offenderet, quam lætus animo paratissimo excepit. Ab eâ Adelheidi Abbatissæ primùm uisus, hæc ei Psalmistæ verba blandissimè edixit; *Eccè quomodo moritur justus, & nemo recogitat!* Tum alteri

alteri deinde è vestalibus, regio cultu fulgens
indicauit MEGENGORIS nomen in MEGEN-
GAVDII sibi mutatum esse. *Ex vit. S. Adelheid.*

XXI.

S• I V T T Æ *Sponheimensis Comitissæ ac Virgi-*
nis raræ pietatis, dies triumphalis, & HIL-
DEGARDIS *Virtutum Magistræ; que omnem illi à*
teneris pietatem instillauit, virtutis & sceleris
præmia à Deo expectanda docuit. Sanctimo-
niâ tandem, ut & rerum diuinarum medita-
tione eximia, inter beatarum Mentium plausus
cælum adiit. *Ex Vind.*

XXIII.

HEISTERBACI agunt anniuersariū venerabilis
GODEFRIDI, *Viri admodum Religiosi: qui*
cum doctrinâ eximius apud *Vbios S. ANDRÆ*
insignis Collegiæ ageret Scholasticum, *dedit*
illi Dominus scientiam Sanctorum, ut salutis A-
fylon Heisterbaci reperiret; ubi ex *Doctore discipu-*
lus; ex diuite pauper; ex Canonico Monachus fa-
ctus, & in ipso tirocinio, aspectabili dæmonis
specie sæpe exagitatus, Victor euasit; Votisque
in exactâ ætate emissis, illico obiit cælestibus Votis

fine